

lud est voluntatis, quippe qui nos in pace vocat. Ita que si litiget, & jurgius urgeat, præbuit illi divortii causam. Hactenus Theophylactus. Deinde id, quod Deus olim cum leproso lege Mosayca fieri præcepit, manifestum est exemplar nobis propositum, ut illo bene inspecto, discamus inde quid in lege Evangelica circa hæreticum fieri debeat. *Omnia enim* (ut ait Paulus 1. Cor. 10.) *in figura contingebant illis.* Inter multa alia, quæ in lege Mosayca circa leprosum necessario faciendæ, præcipiebantur, hoc unum erat, ut leprosus extra castra egeretur. *Omni tempore* (inquit lex Levit. 13.) *quo leprosus est, & immundus, solus habitabit extra castra.* Leprosus autem illic descriptus manifestam tenet hæreticorum figuram. Nam beatus Augustinus, exponens Evangelium illud de decem leprosis ait: Quærendum est igitur quid ipsa lepra significet. Non enim sanati, sed mundati dicuntur, qui ea caruerunt. Coloris quippe vitium est, non valetudinis, aut integritatis sensum, atque membrorum. Leprosi ergo non absurde intelliguntur, qui scientiam veteris fidei non habentes, varias doctrinas profitentur erroris. Nulla porro falsa doctrina est, quæ non aliqua vera intermiscat. Vera ergo falsis inordinate permixta, in una disputatione, vel narratione hominis, tamquam in unius corporis colore apparentia, significant, lepram, tamquam veris, falsisque colorum locis humana corpora variantem, atque maculantem. Hæc Augustinus. Quibus verbis subscribitur Beda super Lucam, & in homilia quadam super illud Evangelium, quod juxta usum Romanæ Ecclesiæ legitur in missa Dominica decimaertia post Pentecosten. Sunt adhuc multa alia in leproso consideranda, ex quibus aptius colligi potest illum veram hæretici figuram fuisse. Nam leprosus suo contactu alios inficiebat, & hæreticus sua conversatione fidelibus nocet. Leprosi anhelitus noxius erat, & ob hanc causam os illius veste contectum esse jubebatur. Et hæreticorum sermo, Paulo testante (2. Tim. 2.) *velut cancer serpit*, & ob hanc causam prædicatio est illi interdita. Quoniam (ut ait Salomon Prov. 26.) *qui imponit stulto silentium, iras mitigat.* Cum ergo leprosus, ne sua conversatione alios nocere possit, extra castra, & omnium hominum conversationem ejici, sit lege Mosayca præceptum, hoc exemplari, & sub hujus figuræ velamine nobis offensum est, justum esse, immo necessarium, ut hæreticus excommunicetur, & sic extra Ecclesiæ castra ejiciatur, ne Catholicis communicans, eis sua communicatione nocere valeat. Accedit ad hæc, quod hæretici semper sunt contentiosi, nec pacem, quam Deus vivens, & moriens tam obnixè nobis commendavit, unquam amplecti volunt, sed povorum dogmatum inventores, aut fautores effecti rixas, & contentiones perquirunt, & jurgia, & dissidia intra Ecclesiam suscitant. Ideo justum, & necessarium est hæreticos ab Ecclesiæ communicatione ejicere, ut vel sic pax reddatur Ecclesiæ. Nam Salomon in Prov. cap. 22. ait: *Ejice derisorem, & exibit cum eo jurgium.* Quæ verba exponens Beda in commentariis super Proverbia ait: *Ejice hæreticum, cum quem corrigere non potes, de Ecclesiâ: & cum illi prædicandi libertatem abstuleris, Catholicæ paci auxilium præstas.* Hæc ille. Demum semper ab ipsis Ecclesiæ primordiis veri Catholici fingerunt consortia hæreticorum, & ab eorum conversatione præcul recesserunt, nec colloquium ullum, nisi forte causa correctionis, cum illis habere voluerunt, adeo ut donum, in qua hæreticus esset, intrare nolissent. In cuius rei certissimum, & irrefragabile testimonium, unum solum exemplum affe-

ram, quod refert beatus Irenæus. Is enim verus Christi martyr libro 3. adversus hæreses, cap. 3. de Polycarpo Episcopo, & Martyre, Joannis Apostoli discipulo loquens, hæc ait: Et sunt adhuc etiam nunc, qui audierunt ab ipso, quod Joannes Apostolus discipulus Domini, apud Ephefum, cum Balneas lavandi gratia fuisset ingressus, & vidisset ibi Cerinthum, exiverit continuo, & discesserit non lotus, dicens: Fugiamus hinc, ne & balneæ ipse corrumpant, in quibus Cerinthus lavatur veritatis inimicus. Idem etiam ipse Polycarpus Marcioni aliquando cum occurrisset, dicens: Fugiamus hinc, ne & balneæ ipse corrumpant, in quibus Cerinthus lavatur veritatis inimicus. Idem etiam ipse Polycarpus Marcioni Respondit: *Agnosco primogenitum Sathana.* Tanta tunc Apostoli atque eorum discipuli in religione cautela utebantur, ut ne verbi quidem communionem, cum aliquo eorum, qui à veritate deviaverant, habere paterentur. Sicut & Paulus dicit (Tim. 3.) *Hæreticum hominem post unam correptionem devota.* Hæc Irenæus. Et eadem fere verba citantur sub nomine Bedæ, in cap. omnis 24. q. 1. Cum igitur tam multis, urgentissimisque rationibus ostenderit justam esse hæreticorum excommunicationem, opus est, ut quicumque se fidelem Catholicum esse, & existimari optat, vitet consortia, & colloquia jusculumque manifesti hæretici, ne contrarium faciens, justam aliis præbeat suspicandi occasionem, se etiam eodem crimine hæresis esse infectum, quo ille, cum quo conversatur.

CAPUT XIX.

An hæreticus possit post mortem excommunicari.

Hominem mortuum non posse excommunicari, cuiuscumque Theologo, vel mediocriter sacram scripturam intelligenti, est apertissimum, quoniam potestas jurisdictionis, quæ ad excommunicandum aliquem est à Christo Salvatore nostro prelati Ecclesiæ concessa, ad solos vivos, & super terram existentes concessa est, non autem ad mortuos, qui aut supra terram, aut sub terra locati sunt. Nam potestatem hæc excommunicandi incorrigibilem, aut contumacem (ut proxime præcedenti cap. sacerorum doctorum testimonio docuimus) Christus Salvator noster concessit per hæc verba, sic dicens (Matth. 8.) *Si Ecclesiam non audiverit, sit tibi sicut Ethnicus, & Publicanus.* Illa autem verba, ut ex ipsius Evangelii littera facillime constat, ad eos solos referuntur, qui semel & iterum à fratre, & tertio à prælato correpti, emendari recusant tamquam contumaces, & rebelles. Ex quo Evangelii processu, Theologi omnes concorditer sententia colligunt, non pro quolibet peccato etiam mortali posse dari sententiam excommunicationis: sed oportet esse annexam contumaciam, sine qua sententia excommunicationis fieri non possit. At mortuus cum non possit semel admoneri, aut à fratre, aut ab Ecclesiâ, nunquam post mortem poterit dici contumax, aut rebellis, quo fit, ut nec excommunicari possit post mortem. Forte quis dicit mortuum non excommunicari propter contumaciam, quam post mortem habuerit, quia hujusmodi talis illi contingere non potest, sed propter contumaciam, quam habuit ante mortem, quæ quia ipso vivente non innotuit, sed post mortem, ideo mortuus excommunicatur. Sed hoc fieri non posse, verba, quæ Christus Salvator noster statim post præcedentia, ad excommunicationis confirmationem dixit, apertissime convincunt. Nam post illa verba, *si tibi sicut Ethnicus, & Publicanus,* statim subdidit: *Quodcumque solveris super terram, erit solutum & in caelis.* Quod-

quod-

quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum & in caelo. Per quæ verba (ut proxime præcedenti cap. ex Hieronymi testimonio ostendimus) Salvator noster ipsam excommunicationis potestatem Ecclesiæ concessam, amplius declaravit, & ratam, & firmam esse ostendit. Si quis tamen in hæc re soli Hieronymo non fidit, nec solo illius testimonio est contentus, plures alios posse ex sacris doctoribus ad hujus rei testimonium asserre. Ne tamen nimia prolixitate in re tam clara gravem lectorem, solos duos alios probatissimos testes, omnique (ut dicitur) exceptione majores proferam, qui per præfata Salvatoris nostri verba convincere nituntur potestatem excommunicandi datam esse Ecclesiæ. Primus est Urbanus Papa & martyr in epistola de communi vira, & oblatione fidelium, qui postquam inhibuit ne Ecclesiæ facultates caperentur in alios usus convertendæ, & cuiusque dissipanti illas excommunicationem minatus est, ne talem excommunicationem aliquis contemnere auderet, ipsam excommunicandi potestatem, per illa Salvatoris verba probat, quibus ait: *Quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum & in caelo.* Gelasius Papa in cap. legatur, & in cap. nec quisque, per illa eadem verba probat potestatem excommunicandi datam esse Ecclesiæ. Illa autem Salvatoris nostri verba de solis illis loquuntur, qui sunt super terram, hoc est, de illis, qui vitam in hoc mundo degunt, non autem de mortuis, qui aut supra terram, aut sub terra sunt. Solos ergo vivos Ecclesiâ ligare, aut solvere potest, non autem mortuos. Et hæc sententiam tenent non solum Theologi omnes, sed etiam juris canonici periti. Aliqui tamen canonistæ ab hæc lege excipiunt hæreticum hominem, qui licet defunctus huic sæculo sit, propter criminis tamen gravitatem dicunt illum posse etiam post mortem excommunicari. Nam Glossator Decretalium in cap. si quis Episcopus de hæret. in verbo, post mortem, postquam ad fuz sententiæ confirmationem citavit cap. sane 24. q. 2. deinde sibi ipsi objicit, & respondet per hæc verba. Contra, qui crimina morte extinguuntur, & diff. quorundam 24. q. 2. cap. 1. & crimen cum poena sit extinctum. C. si reus, vel accus. mor. fuc. l. 2. Hoc tamen speciale est in crimine hæresis in criminis defestationem, ut post mortem possit accusari, & excommunicari. Hæc Glossator Decretalium. Abbas in expositione præfati cap. si quis Episcopus eidem subscribit sententiæ, dicens etiam hoc esse speciale hæretico, ut post mortem possit excommunicari. Sed re vera (ut ingenue loquar) misere erravit uterque, quoniam nec Pontificum in hæc re potestatem intellexit, nec virtutem excommunicationis consideravit, nec verba Gratiani, & quæ ille ex aliis auctoribus ibidem citat, interius penetravit. Post mortem quidem damnari potest aliquis de hæresi, hoc est, dari sententia, per quam declaretur illum fuisse hæreticum, & in hæresi ex hoc sæculo decessisse, quia nulla penitentia signa ante mortem ostendit. Non tamen cum damnatur hæreticus defunctus, tunc excommunicatur, sed declaratur illum tunc fuisse excommunicatum, quum primo factus est hæreticus. Nam (ut præcedenti cap. diximus) hæreticus etiam ante judicis declarationem, est ipso jure excommunicatus. Quoniam & si quis adeo occultus fuerit hæreticus, ut nunquam ad notitiam iudicis pervenerit, si tamen hæresim suam exterius utcumque prodiderit, & non in solo corde zelaverit, non tamen propter hoc ab excommunicatione liberabitur, cum talis excommunicatio non ab homine pendeat, ut vim suam habere possit, sed sit ab ipso jure inflata. Qui ergo

post mortem de hæresi damnatur, non tunc excommunicatur, sed declaratur fuisse ante mortem excommunicatus, & in excommunicatione defunctus, ut deinceps jam non pro illo sicut pro aliis, alicui orare liceat, & omnes intelligent illum, qui pro hæretico damnatus est, non habere partem in orationibus, quas Ecclesiâ facit pro defunctis. Neque aliud dici posse, auctoritate, & ratione urgentissima id convincere volo. Leo Papa in epistola ad Rusticum Narbonensem Episcopum, quæ est 60. in ordine epistolarum suarum, sic ait: *De commanione priorum, vatis, & ita defunctis horum causa judicio Dei referenda est, in cuius manibus fuit, ut talium obitus, non usque ad communionis remedium differretur. Nos autem quibus viventibus non communicamus, mortuis, communicare non possumus.* Hæc Leo Papa, & habentur in volumine Decretorum 24. q. 2. de communionem. Ex quibus verbis constat Leonis Papæ sententiam esse, neminem post mortem ab excommunicatione, in qua decessit, posse post mortem absolvi. Et inde deducitur, ut eodem modo nemo, qui sine excommunicatione decessit, possit post mortem excommunicari. Hæc autem collectio probatur esse bona testimonio Urbani Papæ in epistola ad Guillelmundam Episcopum, qui ex illis beati Leonis verbis eandem format consequentiam, sic inquiens: *Inter ceteros quippe nostræ fidei patres beatus Leo, Papa doctor egregius: Quibus vivis (inquit) non communicamus, nec mortuis communicare debemus. Constat ergo quibus vivis (ut ex opposito loquamur) communicamus, mortuis quoque communicare possumus.* Hæc Urbanus Papa, & habentur in cap. Sane quod super 24. quest. 2. Gelasius Papa in cap. legatur, eadem causa & questione, dicit apertissime nullum post mortem posse ab excommunicatione in qua decessit, absolvi, & in fuz sententiæ confirmationem adducit illa sæpe jam repetita verba, quæ Salvator noster dixit B. Petro (Matth. 16.) *Quodcumque solveris super terram, erit solutum & in caelis: & quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum & in caelis.* Quæ verba doctissime annotans Gelasius, ait: *Su-*, per terram (inquit) nam in ligatione defunctum, numquam dixit esse absolvendum. Hæc Gelasius. Ex quibus verbis apertissime constat Gelasium Papam hæc ratione moveri, ut dicat defunctum non posse ligari, aut absolvi, quia videlicet non est super terram. Hæc autem ratio æque urget circa hæreticum defunctum, sicut circa omnes alios defunctos: Quoniam hæreticus defunctus, non magis est super terram, quam ceteri mortui. Cum ergo eadem ratio sit circa hæreticum defunctum, quæ circa alios mortuos, oportet, ut eadem lege judicentur hæretici defuncti, quæ circa excommunicationem alii defuncti judicantur. Quoniam aut ratio illa à Gelasio data, non bene de aliis defunctis probat, quod solvi, aut ligari non possunt, aut etiam de hæretico sicut de aliis, concludit. Præterea Salomon ait (Eccle. 11.) *Si ceciderit lignum, ad Austrem, aut ad Aquilonem, in quocumque loco ceciderit, ibi erit.* Lignum de quo loco isto Salomon loquitur, tunc cadere dicitur (ut Hieronymus ibidem interpretatur) quando homo moritur. Sed in quocumque loco ceciderit, ibi erit, quia sicut eum mors occupavit, ita postmodum reperietur. Ex qua Salomonis sententia convincitur, ut qui non est in morte excommunicatus, nec possit etiam post mortem excommunicari. Hanc nostram argumentationem confirmat id, quod Gelasius Papa ait in cap. Nec quisquam 24. q. 2. ubi differens de mortuo an possit ab excommunicatione absolvi, aut ab ea ligari, hæc ait:

Tom. II.

Rt

Cæ.



## CAPUT XXII.

An Episcopus factus hereticus, eo ipso amittat potestatem ordinis Episcopalis.

**D**iximus in precedenti capite varias esse ordinis potestates, quarum aliqua omnibus competunt sacerdotibus: & de istis tunc differimus, an propter heresim amitterentur. Alia: solis Episcopis conveniunt, & de istis nunc inquirendum est, an Episcopus effectus hereticus, eo ipso omnes illas amittat, vel amittere possit. Ut autem hujus questionis difficultatem plene absolvamus, opus est primo aliam questionem discutere, ex qua (ut opinor) tota hujus questionis difficultas pendet. Quarendum igitur est, an Papa, aut generale Concilium possit ab Episcopo auferre eam ordinis potestatem, quae illi per ordinationem concessa est. Nam si Ecclesia hoc facere potest, credendum est illam jam talem potestatem hereticis abstulisse: quia cum illos summo, & iustissimo persequatur odio, pie credendum est abstulisse ab illis quicquid potuit auferre. Si autem Ecclesia non potest hanc ordinis potestatem auferre ab Episcopo, inde luce clarius constare poterit, Episcopum non amittere talem potestatem, etiam si hereticus fiat, praesertim cum constet illam non esse jure divino propter heresim ab Episcopo ablatam. Dominus Innocentius in cap. Quanto de consuetudine, dicit fuisse quorundam opinionem, dicentium Papam posse hoc Episcopis prohibere, ut non administrarent sacramentum ordinis, aut confirmationis: qua prohibitione facta, si Episcopus talia sacramenta conficere tentaret, nihil illum facere dicant. Quia licet Papa non possit tollere sacramentum baptismi, vel alia necessaria; potest tamen (ut isti dicunt) circa illa disponere, vel dando formam, vel disponendo de personis, a quibus, & quibus sint conferenda, ut notatur in cap. 1. de baptismo. Nam Papa secundum istos est obediendum in omnibus spiritualibus, in concernentibus periculum animae; nisi illa repertiantur expresse interdicta, vel sint contra fidem. Postquam istorum opinionem retulit Innocentius, neque illam absolute probat, neque etiam in universoni reprehendit: sed quadam distinctione prius data, dicit quod aut Papa facit legem, per quam tollit hanc potestatem Episcopis, & tunc dicit Episcopum nihil profus agere conferendo tale sacramentum contra prohibitionem: aut simpliciter Papa prohibet Episcopis ne faciant; & talis simplex prohibitio (ut ait) non impedit impressionem characteris. Panormitanus in eodem cap. Quanto, refert hanc Innocentii opinionem, & dicit optimam esse illius sententiam, tantum abest, ut illam reprehendat. Alexander de Ales in quarta parte, quae est 35. membro 6. dicit etiam hanc fuisse aliquorum sententiam; illam tamen alia longe diversissima nota signavit, asserens illam esse falsam, & erroneam. Nec solus Alexander Aletensis, sed omnes Scholastici Theologi, qui de hac re tractant, illam apertissime damnant. Quorum sententiae ego subscribens illam Innocentii, & Panormitani opinionem, non solum falsam, sed hereticam esse censo. Nec tamen ob hoc existimo illos esse hereticos dicendos: quia non puto eos tam pertinaci animositate ita sensitse, ut contra Catholicam Ecclesiam doctrinam suam opinionem tueri voluissent: Immo contra firmissime credo illos, si fuissent de hac re (ut docebat) admoniti, statim suam sententiam revocasse. Deinde res ipsa non est de illis primis fidei prin-

cipiis, in quibus fas non est Christiano viro aliquid ignorare: neque res est per se tam aperta, ut non possit per ignorantiam excusari, praesertim cum illa magis ad Theologorum, quam ad Canonistarum examen pertineat. Ut autem nos certam, & indubitatam de hac re offendamus sententiam, aliqua prius admonere oportet, quae ad rei claritatem offendendam multum juvare possunt. Primum quidem considerare oportet, quod (ut Augustinus lib. 2. contra Parmenianum ait) aliud est aliquid omnino non habere, aliud autem non recte habere: & similiter etiam aliud est non dare, & aliud non recte dare. Considerare etiam oportet varias esse in Episcopo sui ordinis potestates, quae omnes non sunt aequa lance pensandae. Habet siquidem Episcopus potestatem circa aliquorum sacramentorum collationem, ut sunt ordo, & confirmatio, quae a solis Episcopis conferri possunt. Habet etiam potestatem ex ordine suo ad benedicendum, & consecrandum alia quae non sacramenta, sed sacramentalia dicuntur, ut sunt Ecclesiae, calices, vestimenta, & cetera quae a solis Episcopis consecrantur, & benedicuntur. Haec omnia, & alia similia dicuntur sacramentalia, quia omnia illa ordinantur ad aliquis sacramenti consecrationem, vel illius administrationem. Nam consecratio, aut benedictio Ecclesiae, consecratio calicis, benedictio vestimentorum, aliaque id genus multa, ad consecrationem Eucharistiae cum debita devotione, & reverentia faciendam, ordinantur. Christum consecratio, ad sacramentorum baptismi, & confirmationis, & extremam unctionis collationem dirigitur. Possunt etiam haec omnia, & alia hujusmodi ob aliam rationem dici sacramentalia, quia videlicet aliquam habent cum sacramentis similitudinem. Nam sacramentis omnibus Deus hanc contulit potestatem, ut gratiam digne recipientibus conferant. Et omnia illa, quae sacramentalia dicuntur, & si non tamen sint potestates a Deo donatae, ut sumentibus illa gratiam conferre valeant, est tamen omnibus illis postquam sunt ab Ecclesia consecrata, aut benedicta, particularis quaedam a Deo virtus concessa, ad aliquid in devoto recipiente efficiendum, quod seclusa benedictione non efficissent: ut aqua benedicta, aut cineres benedicti, aut candelae, aut rami, aut campanae. Quorum omnium benedictio non est (ut inquit Valenses censuerunt) inanis putanda, & velut talis ridenda: sed juxta totius Catholicae Ecclesiae doctrinam, aliquam rebus illis omnibus Deus propter Ecclesiae benedictiones particularem concedit virtutem, quam illi seclusa benedictione non haberent. De qua re olim me dixisse recolo in opere illo, quod adversus omnes hereses edidi, in titulo, aqua, haeresi secunda, & in titulo Exorcismus. His igitur habitis considerationibus, aliquas suo ordine proponam conclusiones, ex quibus quicquid ad hanc rem attinet, facillime intelligi potest. Prima conclusio. Papa non potest tollere ab Episcopo potestatem conferendi illa sacramenta, quae sunt Episcopis reservata, ut sunt confirmatio, & ordo, ita ut istorum sacramentorum collationem irritam & inanem Papa facere possit. Hanc conclusionem plurimis evidentissimisque rationibus probare oportet, ut inde apertissime constet falsam & hereticam esse Innocentii & Panormitani opinionem. Primo quidem haec nostra conclusio inde convincitur esse vera, quod potestas quam circa confirmationis & ordinis sacramentorum collationem, Episcopus habet, est illi jure divino, & a Deo concessa: ex quo evidentissime colligitur, Papam non posse illam ab Episcopo auferre: quoniam inferior non potest ab aliquo tol-

lollere, quod illi fuerit a superiore concessum. Assumptum hujus argumentationis, ex quo tota illius vis pendet, multiplici ratione probare volo. Nam si semel ostenderim potestatem illam esse a Deo Episcopo concessam, non est quod quis deinceps putare possit, Papam posse illam ab Episcopo auferre. Haec enim una est ex praecipuis rationibus quibus Theologi convincunt potestatem consecrandi non posse a sacerdote quamvis degradato auferri: quia cum illam a Deo & non ab hominibus acceperit, consequens est, ut nullus homo illam a sacerdote tollere possit. Quod autem talis potestas praesertim circa ordinis collationem sit a solo Deo Episcopis concessa, inde primo probatur, quod potestas consecrandi Eucharistiam, etiam ministerialiter, superat totius Ecclesiae: propriam aequae naturam virtutem, quia nisi Deus hanc dedisset sacerdotibus potestatem, ut tamquam ministri possent Eucharistiam conficere, tota Ecclesia non possit illam alicui tradere sacerdoti. Ex quo aperte convincitur, ut potestas quam habet Episcopus ad consecrandum sacerdotibus hanc in illorum ordinationibus potestatem, superet etiam totam Ecclesiae virtutem & potestatem. Unde necessario consequitur, ut talem potestatem Episcopus non ab homine, qui dare non potuit, sed a solo Deo acceperit. Nam alioqui si potestas consecrandi sacerdotem posset ab homine, jure divino secluso, alicui dari, inde apertissime sequeretur, ut potestas consecrandi Eucharistiam, quae per illam priorem potestatem sacerdoti confertur, posset etiam secluso jure divino alicui dari. Certum enim est, quod si ego virtute humana (non secluso generalem Dei concursum) possum Petrum in aliquo ordine & dignitate constituere, quicquid per illum ordinem & dignitatem Petrus fecerit, erit humana virtute factibile. Vulgata siquidem est Philosophorum regula, quae ait: Quidquid est causa causae est causa causae. Si vero Petrus per talem ordinem & dignitatem aliquid fecerit quod humana virtute effici non potest, evidentissime inde sequitur, ut nullus humana virtute possit Petrum in tali ordine & dignitate constituere. Cum ergo potestas sacerdotis sit super omnem humanam virtutem, necessario consequens est, ut potestas efficiendi sacerdotes quam habet Episcopus, superet etiam omnem humanam virtutem. Quod ergo homo non potest Episcopo dare, non potest etiam Episcopo auferre. Et sicut Papa non potest a sacerdote tollere potestatem consecrandi, ita nec ab Episcopo potestatem ordinandi: quia utrumque humanam superat virtutem. Secundo probatur illud superius assumptum, videlicet, quod potestas ordinis circa collationem sacramentorum, quae est in Episcopis, competat illis jure divino. Quoniam nisi hoc ita esset, sequeretur inde Episcopos solo jure humano esse aliis sacerdotibus superiores, quo fieret, ut ex divina sola institutione, Episcopi nullam majorem potestatem haberent quam alii sacerdotes. Nihil enim aliud habet Episcopus, quod non possit habere alius sacerdos, nisi ordinis & confirmationis sacramentorum collationem. Sed si haec potestas solo jure humano & non divino competit Episcopis, evidentissime sequitur inde, nihil competere ex jure divino Episcopis, quod aliis sacerdotibus non conveniat. Hoc autem fateri est haeresi Aerii, quam Augustinus in libro de haeresibus cap. 53. nomine haeresis condemnat. Et beatus Epiphanius in libro octoginta haeresum, haeresi septuagesima quinta de Aerio dissentens, hanc inierit illius haereses enumerat. Et nos in illo opere quod adversus omnes hereses edidimus, in tit. Episcopus, in multis, evi-

dentissimisque rationibus probavimus talem sententiam esse hereticam. Tertio adhuc probatur antecedens illud superius in prima argumentatione assumptum. Si potestas quam Episcopus habet circa ordinis & confirmationis collationem, non est ex jure divino, sed ex solo jure humano illi concessa, sequitur quod etiam Papa poterit talem potestatem aliis sacerdotibus conferre. Quoniam si solo jure humano illi concessum est, sicut de Episcopis statuit Ecclesia, ita de sacerdotibus statueret possit, ut illi etiam alios in sacerdotes ordinare possent. Verum hoc fateri Panormitanus nullum putat esse inconveniens, quoniam in loco praefato sponte & nullo argumento coactus, dicit Papam posse delegare hanc potestatem cuilibet sacerdoti, ut ordines conferat. Si de minoribus ordinibus, qui sacri non censentur, ille loqueretur, illi ego non contradicere, ut postea apertius declarabo. Sed quia de omni ordine absolute loquitur, ideo non possum ab illo non discedere, cum illius sententia sit manifeste erronea. Nam si hoc Ecclesia potest, sequitur inde Ecclesiam posse sacerdotibus omnes pares facere Episcopos, quia poterit sacerdotibus dare ordinandi, & per consequens confirmandi potestatem, qua data, erunt per omnia pares. Nam beatus Hieronymus in epistola ad Evagriam ait: „ Quid facit, excepta ordinatione, Episcopus, quod Presbyter „ non faciat? „ Haec ille. Si hoc solo Episcopus reliquos sacerdotes excedit, consequens est, ut data sacerdotibus illa potestate, sint illi Episcopis pares. At sicut nunc proxime diximus, ex Catholica fide docemur, Episcopos ex jure divino esse reliquos sacerdotibus superiores: ergo ex Catholica fide credere tenemur Papam non posse sacerdotibus delegare potestatem, ordines, praesertim sacerdotium conferendi. Praeterea, Paulus in ea quae ad Hebraeos est epistola, (cap. 7.) ait: *Sine ulla contradictione: quod minus est, a meliore benedicitur.* Major ergo est Episcopus, qui sacerdotem benedicit & consecrat, quam sacerdos qui ab illo consecratur. Quo fit, ut sacerdos a solo sacerdote effici non possit, quia illi sunt inter se pares. Rursum Concilium Florentinum, reddens Armenis certissimam fidei regulam, quam illos sequi oportebat, quae de sacramento ordinis disserit, dicitur verum illius ministrum esse Episcopum: ergo Ecclesia non potest alium ministrum instituire, & per consequens non poterit Papa hoc alii sacerdoti delegare. Quia sicut non potest aliam materiam aut formam ab illa quam Christus instituit in sacramentis, instituire, ita nec potest alium ministrum instituire quam Christus instituit. Potestas ergo quam Episcopus circa sacramentorum collationem habet, est illi & non alteri jure divino concessa, & ita nec ab illo per Ecclesiam auferibilis, nec alicui ateri donabilis. Ex quo deducitur aperta responsio ad id, quod fuerat in hoc cap. primo quaesitum, videlicet, an Episcopus hereticus effectus amittat potestatem ordinis Episcopalis. Cui quaestioni nos respondemus, Episcopum, quamvis hereticus sit, aut degradatus, nunquam talem amittere potestatem. Quoniam talis potestas datur illi a Deo, & non ab homine: datur etiam per suam consecrationem, quando ille consecratur. Omnis autem potestas ordinis sive sacramentalis (ut supra ex B. Thoma docuimus) quoniam datur per consecrationem, est indelebilis, sicut & ipsa consecratio est indelebilis. Praeterea, Ecclesia non consuevit Episcopos hereticos, si respiciant, iterum consecrare: sed semper illos in sua dignitate recepit, ut patet ex actis septimae synodi, quae fuit secunda Nicæna, in qua multi Episcopi, qui ab Ecclesia pro-



aut Pontificum decretis dicitur. Si quis hoc, aut illud dixerit, aut fecerit, anathema sit, hoc est, maledictus, & ab Ecclesiæ consortio alienus. Nam anathematis vox, ut per similitudinem ad excommunicationem applicatur, non solum minorem excommunicationem exprimit, sed majorem, per quam excommunicatus ab Ecclesiâ abscinditur, atque separatur. Sic enim docetur expresse in cap. Eugertrudam 3. q. 4. Ab hoc nomine anathema derivatur verbum anathematizo, quod significat maledicere, detestari, devovere. In ejus rei testimonium (ut profanos omittam auctores) solum B. Augustinum profero, qui in quæstionibus super librum Numerorum quæst. 41. hæc ait: Hinc dictum est anathema quod detestabile, aliquid, & abominabile videatur. Ut enim nihil inde, victor in usus suos auferret, hoc totum in penam luedam voveret, hoc erat anathemate, quod vulgo dicitur denotare. Origo autem hujus verbi est in Græcâ lingua, ab his rebus, quæ voræ, & perolutæ, hoc est, promissæ, & redditæ, sursum ponebantur in templis, apud tu ano tithesluæ. Hæc Augustinus. Anathema ergo juxta Augustinum, est idem quod abominabile, & detestabile. Anathematizare autem, vel (ut ille ait) anathemare, est abominari, maledicere, detestari. Et juxta hanc significationem capitur hæc vox anathema, apud Marcum Evangelistam loco superius citato, quum dixit, quod Petrus cepit anathematizare & jurare, quia non novi hominem istum. Juravit enim tunc Petrus juramento per execrationem, quod (ut Augustinus super Psalmo septimo docet) est omnium gravissimum juramentum. Jurans Petrus maledicebat sibi ipsi, & maledictiones imprecabatur, ut major suo juramento adhiberetur fides: ac si dixisset: Maledictus ego sim à Deo; & talia aut talia addat mihi Deus, hæc aut illa super me veniant, si novi hominem istum. Hoc certe est jurare & anathematizare. Et hoc, aut aliquid aliud simile credendum est, Petrum negantem dixisse, propter quod dictus est anathematizare & jurare: nam jurans non alium, sed seipsum anathematizavit. Ex quibus omnibus jam apertissime constat aliquam esse differentiam inter anathematizare, & excommunicare, eam scilicet quæ est inter maledicere, aut detestari, & excommunicare. Habent enim illa duo talem ordinem inter se ipsa, quod nec semper ab invicem separantur, nec semper se necessario consequuntur, ut eidem semper conveniant. Nam quamvis idem pbsis excommunicari & anathematizari, non tamen consequens est, ut omnis quem anathematizamus aut maledicimus, sit eo ipso excommunicatus, neque è contrario consequens est, ut omnis excommunicatus sit eo ipso anathematizatus, aut maledictus. Et propter hanc causam Ecclesiâ, postquam aliquem publice & nominatim excommunicavit, anathematizare consuevit. Tunc anathematizari, quando maledictionis verba & imprecationes quædam contra excommunicatum profert, ut supra dicendo psalmum 108. maledictionibus plenum, qui in aliquibus Ecclesiis tunc legi solet. In aliis Ecclesiis quædam cetera monia horrore plena, post datam excommunicationem fieri solent. Candelæ accensæ, aqua desuper infusa, coram populo à sacerdote extinguntur, qui tunc hæc dicit verba: Sicut hæc candelæ extinguntur in hac aqua, ita anima hujus excommunicati pereat in inferno. Deinde in signum tristitiæ pro anima sic pereunte, signum crucis elevatum velamine nigro tegitur. Cum hæc, aut alia similia Ecclesiâ contra excommunicatum facit, tunc illum

anathematizat. Et hoc aut aliud simile quicquam fieri præcepit Pontifex cum clerico incorrigibili, quem in cap. Cum ab homine, extra de judiciis, superacitato, postquam excommunicatus fuerit, præcipit, si emendari noluierit, anathematis mucrone feriri. Ex quibus omnibus apertissime constat, in Concilio, aut Pontificum decretis non frustra, & sine causa post verbum excommunicationis, additum esse verbum anathematis. Nam post excommunicationem ad majorem horrorem & metum alii incutiendum, placuit superaddere maledictionem, quæ anathematis nomine significatur. Unde patet misere errasse Sylvestrum de Prierio, qui in sua summa, titulo excommunicatio prima, quæstionæ ultima, dicit idem profus esse anathema, & majorem excommunicationem, & idem anathematizare & excommunicare majorem excommunicationem. Ad cuius sententiæ persuasionem profert illud cap. Eugertrudam 3. q. 4. Sed re vera (ut ingenue loquar) ille non intellexit textum: quoniam si bene intellexisset, novisset optime nihil profus illius favere sententiæ. Nam textus ille dicit quod anathema majorem explicat excommunicationem, quod intelligendum est, quando juxta illam significationem capitur, juxta quam applicatur excommunicationi. Numquam tamen textus ille dicit quod anathema non significet aliud, quam excommunicationem, aut quod anathematizare non significet aliud, quam excommunicare. Deinde, id quod textus ille ait, anathema significare excommunicationem majorem, sic intelligendum est, quod maledictio quæ anathematis voce significatur, non datur nisi majore excommunicatione præcedente. Itaque anathema majorem significat excommunicationem, quia cum anathema dicitur, datur intelligi majorem jam præcessisse excommunicationem, postquam solum dicitur anathema, id est maledictio. Omitto quam bellam illius vocis anathema Sylvester reddat etymologiam. Non quidem miror quod hæc ille ignoraverit, sed miror valde quod tanta cum auctoritate docere non sit veritus quæ: profus ignorabat. Et certe ista adversus illum non dixissem, si ille cum alijs, fuisset vel parum modestus. Nam Angelus de Clavasio auctorem summæ Angelicæ, virum quidem, præter doctrinam quam habuit non modicam, multis miraculis clarissimum, sæpe injuriose tractat, cum tamen multa frequenter nec uno mutato verbo, ab illo furatus sit: prout facile poterit illius tam multa furta deprehendere, quibus quis illius summam cum Angelica summa conferre voluerit, quamvis ille ad hoc laborasse videatur, ut furta occultaret, quia quæ Angelus sub una dictione posuerat, ille in aliam dictionem transferre curavit, ne forte qui, utramque summam in eadem materia legeret, furum deprehendere posset. Fieri igitur oportuit cum Sylvestro, ut cum ille toties male loquutus fuerit, male etiam aliquando audiret. Fatemur itaque defunctos, non solum hæreticos sed etiam Catholicos posse à viventibus anathematizari, non tamen excommunicari. Nam sæpenumero videmus, ut filii viventibus parentibus suis defunctis, maledicant, & illos detestentur, & abominentur, male illis imprecantes, quia forte parentes dum viverent, fuerunt suarum rerum prodigi, aut quia male cum illis hereditatem dividerunt, aut propter aliam similem causam. Quo sic eveniente, filii parentes suos defunctos anathematizant, non tamen perinde eos excommunicant, quia non omnes id facere possunt, cum excommunicare sit actus potestatis & jurisdictionis, quam non omnes habere, apertissime constat. Ecclesiâ tamen non consuevit anathematizari.

tizare, hoc est, maledicere, nisi illum qui prius excommunicatus fuisset. Quamvis igitur anathematis voce (ut diximus) Ecclesiâ aliquando utatur pro excommunicatione, non tamen hoc semper facit. Concilium ergo Constantiense anathematizavit Joannem Vviclef defunctum: quinta synodus plurimos hæresiarchas jam mortuos anathematizavit: sexta synodus anathematizavit alios multos hæreticos, hoc est, maledixit illis, & imprecationes in illos dixit, non tamen illos excommunicavit. Neque unquam Concilium in suis definitionibus, aut Pontifex in suis decretis usus est verbo excommunicationis contra illos hæreticos, sed solo verbo anathematis. Intelligebant siquidem optime tam Concilia quam Summi Pontifices, se jam super illos potestatem aut jurisdictionem non habere, & sciebant non parum esse discrimen inter anathema & excommunicationem. Illud etiam quod ex concilio Africano citatur in cap. Si quis Episcopus, extra de hæreticis, ad eundem modum est interpretandum, ita ut ibi anathema capiatur pro maledictione non pro excommunicatione. Nam si pro excommunicatione poneretur, dixisset, sit anathema, hoc est, sit excommunicatus, & non dixisset, dicatur illi anathema. Quoniam tale genus loquutionis inusitatum est in Ecclesiâ, ut pro eo quod est excommunicare, ponatur dicere alicui excommunicationem. Jubet igitur Concilium, ut Episcopo qui hæreses insituerit hæreticos aut paganos, dicatur anathema, hoc est, maledicatur ab omnibus, omnes illi imprecantur, omnesque illum maledictum appellent. Esto etiam, illic anathema pro excommunicatione ponatur, nihil tamen nostræ obviabit sententiæ: quoniam (ut ex ipso verborum contextu convincitur) sententiâ illa quæ illic contra talem Episcopum profertur, est solum declaratoria pœnæ jam olim illatæ, & non executio novæ excommunicationis. Si dixisset Concilium, sit anathema, videretur sensisse tunc primum post mortem, excommunicationem esse inferendam, quia præcipiens esse anathema aperte innuere videretur, ante non fuisse anathema. Cum vero Concilium præcipiat ut dicatur anathema, satis clare ostenditur sententiam esse declaratoriam. Quia quod ait, dicatur anathema, tantum valet, ac si dixisset, appelletur excommunicatus, vocetur maledictus. Et hunc effectum verum literæ sensum, verba quæ sequuntur apertissime declarant. Nam postquam dixerat Concilium, dicatur ei anathema, statim subdidit: atque ejus nomen inter Dei sacerdotes nullo modo recitetur. Erat quidem olim consuetudo, ut catalogus habere in Ecclesiâ omnium Episcoporum defunctorum, qui illius fuerant pastores, & talis catalogus publice ante altare legebatur coram populo, ut populus illos Domino commendaret. Præcipit igitur Concilium Africanum, ut Episcopus qui hæreses insituit hæreticos aut paganos, non scribatur in catalogo Episcoporum, nec nomen illius recitetur inter nomina aliorum Episcoporum. Hanc fuisse olim Ecclesiæ consuetudinem, & hanc esse Concilii Africani sententiam, apertissime convincitur per id quod beatus Leo Papa ait in quadam epistola ad Anatholium Constantinopolitanum Episcopum, quæ est 38. in ordine epistolarum suarum. In illa enim epistola idem beatus Leo Papa respondet ad quasdam quæstiones à præfato Anatholio propositas, & ad tertiam quæstionem respondens, sic ait. De nominibus autem Diofcori, Juvenalis & Eustachii, ad sacrum altare non recitandis, dilectionem tuam hoc decet custodire, quod nostri ibidem constituti, faciendum esse dixerint: quodque honorandæ sancti Flavianii memoriæ non repug-

net, & à gratia tua Christianæ plebis animos non avertat. Nam iniquum nimis est atque incongruum, eos qui innocentes & Catholicos sua persecutione vexarunt, sanctorum nominibus sine discretione misceri. Hæc Leo Papa hujus nominis primus. Et alius etiam beatus Leo tertius hujus nominis Papa, in epistola pro confirmatione sextæ synodi generalis ad Constantinum Imperatorem missa, quæ habetur in ultima actione ejusdem synodi, eandem ostendit consuetudinem, & textum illius capituli, si quis Episcopus, aperte declarat, cum ait: Anathematizamus præterea (inquit Leo tertius) proinde atque execramur omnes hæreses, omnesque earum auctores, atque fautores, qui adversus Apostolicam & orthodoxam fidem diabolicis decepti fallaciis salutis errores in Ecclesiâ conari sunt introducere, id est Arrium, Sabellium, Macedonium. Et multis hæreticorum nominibus recensitis, tandem subdit. Quos sancta Catholica atque Apostolica Ecclesiâ de catalogo fidelium patrum, utpote Zizania de area Domini cæ Ecclesiæ gehennæ supplicio abdicanda pro ventilabro divinæ discretionis abiecit. Hæc Leo tertius. Ex quibus duobus tam fidelissimis testibus aperte constat verum atque germanum sensum illius capituli, si quis Episcopus, præcipit namque Concilium, ut ille talis Episcopus qui hæreticos aut paganos hæreses insituit, post mortem non appelletur Episcopus aut Dei sacerdos, sed dicatur anathema, hoc est, maledictus, detestabilis, abominabilis, & nomen ejus in catalogo Episcoporum defunctorum non recitetur. Secundo potest mihi aliquis objicere, illud secundum cap. quod incipit, à nobis, extra de sententiâ excomm. ubi Papa Innocentius definit, post mortem posse dari absolutionem defuncto in excommunicatione decedenti, & deinde dicit Ecclesiâ in certis casibus posse ligare mortuos & solvere. Hic textus in superficie sola inspectus, nostram videtur profus destruere sententiam, sed bene consideratus & acutius examinatus pro nobis sententiam dicit, tantum abest ut vel ex longinquo nos oppugnare velit. Pro cuius clariori intelligentia admoneo lectorem, ut consideret, quod excommunicatio, quæ in unam aliquam personam fertur, ad plures personas suos extendit effectus. Nam excommunicatio non solum pertingit ad excommunicatum, sed etiam ad alios: quoniam cum Ecclesiâ aliquem excommunicat, eo ipso alios obligat, ne pro illo publicas & solemnes apud Deum effundere preces, aut elemosynas publicas dare, aut sacrificia offerre, aut denique commercium ullum cum illis habere audeant. Ipsummet excommunicatum non uno tantum verbere percutit, sed multis, quorum aliqua ad corpus, aliqua ad animam pertinent. Excommunicatus siquidem tamquam membrum putridum est à corpore Ecclesiæ abscissus, & procul separatur: ob quam causam communes Ecclesiæ orationes, & alia illius bona opera, quæ sibi invicem communicant reliqua membra viva & capiti conjuncta, nullo modo profunt excommunicato. Et hoc est vulnus aut flagellum, quod animæ per excommunicationem infligitur. Et circa hoc nihil profus potest Ecclesiâ circa defunctum efficere, quoniam anima, quæ hoc flagello percussa debet, jam post separationem à corpore est omnino à judicio Ecclesiæ separata. Præter hoc animæ flagellum, sunt alia quæ ad corpus pertinent, videlicet privatio ecclesiastica sepulture, non posse legitimam & validam in judicio sententiam dicere, & alia multa à jure contra excommunicatos decreta. De his corporalibus penis non dubito, quin Ecclesiâ illas possit inferre defuncto, quoniam corpus de-



functi, & quæ illud contingere possunt, adhuc sunt Ecclesie potestati subiecta. Potest igitur Ecclesia propter aliquam justam causam, non solum hæreticum, sed etiam quantumlibet alium sceleratum hominem defunctum, ad hunc finem excommunicare, ut corpus illius extra Ecclesiam jaceret tamquam ecclesiastica sepultura indignam. Potest etiam iusta causa urgente, alium in excommunicatione defunctum ad hunc finem absolvere, ut ecclesiastica illi concedatur sepultura, qua ob excommunicationem privatus fuerat. Deinde, quia Ecclesia (ut diximus) cum aliquem excommunicat, alios ligat, ne pro illo Deum publice orare valeant, aut alia quæ diximus pietatis opera pro illo facere. Quo facto quasi indirecte etiam illum lædit, dum illum privat suffragiis tam corporis quam animæ, quæ illi ab aliis provenire possunt. Et hoc Ecclesiam facere posse circa defunctum ego non dubito, quia licet defunctus ille sit extra Ecclesie iudicium constitutus, tamen alii viventes, ad quos tale dirigitur Ecclesie mandatum, Ecclesie potestati subdantur. Sed quia ex tali mandato nocuum quoddam inferitur defuncto, ideo tunc Ecclesia defunctum excommunicare dicitur: cum tamen revera non defuncti sed viventes tali excommunicatione ligentur. Et isto modo etiam fatendum est Ecclesiam posse absolvere ab excommunicatione defunctum, qui in illa decesserat. Quia absolutione si res bene advertatur, non tam defunctus, quam alii viventes absolvuntur. Viventes siquidem ligati erant, ne pro illo, qui fuerat in excommunicatione defunctus, possent orare. At concessio postmodum absolutionis beneficio, absolvuntur viventes, ut libere possint orare pro defuncto, & alia pietatis opera pro illo exercere. Quia tamen talis libertas viventibus concessa, in utilitatem cedit defuncti, ipse defunctus dicitur absolvi. Et juxta hunc modum ego intelligendum censo secundum cap. quod incipit, à nobis, extra de sententia excomm. ubi Papa decernit Ecclesiam posse solvere & ligare defunctos. Nam (ut ex ipsius litterarum contextu apertissime constat) Papa ibidem de solo illius absolutionis beneficio loquitur, quod dat viventibus libertatem ut possint impune pro defuncto Deum orare, & alia pietatis opera pro illo exercere. Et hoc ipsum apertius declaravit, cum dixit, aliquem esse apud Deum qui non fallitur absolutum, qui tamen apud Ecclesiam est excommunicatus. Quomodo posset esse apud Ecclesiam ligatus, qui apud Deum est absolutus, nisi quia ille ob hoc solum ligatus dicitur, quia alii ab Ecclesia ligati sunt ne pro illo orare possint, & ob hoc dicitur ille ligatus, quia in illius veritur damnum talis aliorum ligatio. Nam alias illum defunctum qui apud Deum absolutus est, & per consequens illi conjunctus, non potest Ecclesia illum excommunicare, ut à Deo separet & abscindat. Tam longam traxi de hac re disputationem, quia novi optime esse summe necessaria ea omnia quæ dixi, ut hunc errorem radicatus evellere possem, & loco illius firmam plantare veritatem.

## CAPUT XXI.

An Episcopus, aut quisvis alius sacerdos factus hæreticus amittat illam ecclesiasticam potestatem quæ à Theologis dicitur potestas ordinis.

DUAS esse ecclesiasticas potestates, unam quæ dicitur potestas ordinis sive sacramentalis, alteram quæ dicitur potestas jurisdictionis, universa Theologorum

schola docet, & multa sanctorum Patrum testimonia confirmant. Potestatem ordinis, sive potestatem sacramentalem, quod idem est, definit Sanctus Thomas 2. 2. q. 39. art. 1. sic inquit: Sacramentalis potestas est quæ per aliquam consecrationem confertur. Dicitur autem sacramentalis à fine ad quem ordinatur: quia omnis talis potestas ordinatur ad consecrationem & ordinationem sacramentorum. Posset etiam dici sacramentalis talis potestas, quia semper donatur alicui per collationem alicujus sacramenti, præsertim juxta illorum opinionem, qui putant Episcopatum esse alium ordinem à sacerdotio distinctum. Nam qui contrariam tuerentur sententiam, dicerent Episcopum multas habere sacramentales potestates post consecrationem suam, quæ tamen non sunt illi per collationem alicujus sacramenti collate. Hæc potestas dicitur etiam potestas ordinis, quia nemo potest illam habere, nisi sit in aliquo certo gradu, & ordine constitutus. Potestatem jurisdictionis dicit Sanctus Thomas esse illam quæ ex simplici injunctioe aut commissione hominis confertur, ut est potestas excommunicandi aut absolvendi ab excommunicatione, potestas definiendi in causis forensibus. Joannes de Turre Cremata lib. 1. de summa Ecclesie cap. 26. dicit hanc jurisdictionis potestatem esse duplicem juxta duplex forum, videlicet conscientie, & causarum. Potestas in foro conscientie est illa quam habet omnis pastor animarum, per quam potest absolvere subditos à peccatis. Potestas in foro exteriori est potestas per quam aliquis in negotiis & causis quæ versantur inter homines, habet jus definiendi, & sententiam etiam contra invitum dicendi. Potestates ordinis varie sunt, sicut etiam varii sunt ordines quibus competunt. Quædam enim potestates ordinis sive sacramentales solis Episcopis conveniunt, ut sunt: posse ordines conferre, confirmare, consecrare Ecclesias, aut altaria, aut calices benedicere sacramentalia reliqua, ut sunt vestes sacerdotales, quæ omnia solus Episcopus potest facere. Aliæ sunt potestates ordinis, quæ omnibus sacerdotibus conveniunt. Potestas siquidem consecrandi corpus Christi, & potestas absolvendi à peccatis, sunt potestates ordinis, quarum quælibet traditur sacerdoti, in consecratione illius, quando illum ordinar Episcopus. Potestatem consecrandi confert Episcopus quando tradito calice dicit: Accipe potestatem offerendi sacrificium Deo, missæque celebrandi tam pro vivis quam pro defunctis in nomine Domini. Potestatem absolvendi tradit Episcopus his verbis: Accipite Spiritum Sanctum, quorum remisistis peccata remittuntur eis; quorum retinueritis retenta sunt. Sed quia per hanc potestatem absolvendi, sacerdos non potest operari, nisi aliquam habeat jurisdictionem, ideo juxta beati Thomæ sententiam necessario consequens est, ut duæ simul potestates ordinis & jurisdictionis in peccatoris absolutione concurrant, quarum si aliqua desit, nihil profus effici valet. Alii tamen has duas ecclesiasticas potestates aliter dividunt, aliterque definiunt. Nam Alfonso Abulensis in illo lib. quem appellavit defensorium, part. 2. cap. 62. distinguit has duas potestates, non per hoc quod una conferatur per consecrationem, & alia sine consecratione: neque per hoc quod una donetur à Deo immediate, alia ab homine: sed per diversitatem rerum, circa quas exercentur, quæ sunt duæ, videlicet corpus Christi verum, & corpus Christi mysticum. Potestatem ordinis dicit esse illam, quæ est supra corpus Christi verum, directe, aut indirecte. Ordinem sacerdotalem dicit directe respicere corpus Christi verum: quia primum, ad

quod

quod dirigitur talis ordo, est Eucharistie consecratio. Ordo diaconatus, & subdiaconatus, & cæteri ordines minores etiam ordinantur ad Eucharistiam: quia omnes in aliqua re subministrant, vel deserviunt sacerdoti conficiendi, ut manifestum esse potest cuilibet consideranti singulorum ordinum actus, quos deseribit Isidorus, ut habeatur in cap. Cleros, & Clericos dist. 21. Quæ potestas à Christo conceditur sacerdoti per ministerium Episcopi ordinantis. Potestas jurisdictionis secundum Abulensem sententiam respicit corpus Christi mysticum, quod juxta Pauli doctrinam est Catholica fidelium Ecclesia. Et hanc potestatem Abulensis etiam duplicem esse docet, alteram in foro contentioso, alteram in foro conscientie, prout nunc proxime ex sententia Joannis de Turre Cremata, eas divisimus, atque definivimus. Hoc tamen est in veris illos discriminis, quod Joannes de Turre Cremata dicit potestatem jurisdictionis in foro conscientie non conferri sacerdoti per virtutem ordinationis, quando ille ordinatur ab Episcopo: sed conferri postea ab homine, quando Papa, aut Episcopus dat illi curam animarum. Ex quo ille deducit simplices sacerdotes, qui nullam prorsus curam animarum tenent, non habere ullam jurisdictionis potestatem. Contrariam huic sententiam tueretur Abulensis, qui docet potestatem jurisdictionis fore conscientie conferri cuilibet sacerdoti in ordinatione sua, quando ordinatus fuit ab Episcopo. Tunc enim dicit, quod ex conditione ordinis, & institutione Christi, competit cuilibet sacerdoti potestas jurisdictionis in foro conscientie super omnes fideles totius orbis: Ecclesia tamen, ob justam causam, ad tollendum schismata, & confusiones, quæ inde oriri poterant, arctavit jurisdictionem istam, distinguendo subditos. Quapropter de simplici sacerdote, qui nullam habet animarum curam, dicit illum habere potestatem jurisdictionis super omnes fideles; esse tamen per Ecclesiam talem potestatem, non quidem ablatam, sed ligatam. Quando igitur ordinator, vel Ecclesia, aut quicumque Prælaus, dat alicui ordinato jurisdictionem in foro conscientie, ut in foro contentioso, dicit nihil tunc novum illi concedi, sed tantum removere Ecclesiam impedimentum, aut tollere ligaturam, quæ potestatem illius ligaverat: Sed re vera ego hanc Abulensis sententiam nequaquam probare possum, immo aliquibus urgentissimis rationibus cogor ab illa discedere. Prima est, quia potestas jurisdictionis est quoddam correlativum nomen, quod non ad se solum, sed ad alterum respicit, ad illos videlicet super quos est talis potestas. Sunt ergo correlativa ista duo, potestas jurisdictionis, & subditus, sicut superior, & inferior. At correlativorum natura, juxta Aristot. doctrinam, talis est, ut altero ex illis deficiente, alterum necessario intereat. Ut gratia exempli, mortuo filio, necessarium est, ut qui illius ante pater erat, jam tunc pater non sit, quia non est ad quem jam possit referri. Ex quo apertissime convincitur, ut simplex sacerdos, qui nullam habet animarum curam, nullam etiam habeat potestatem jurisdictionis, quia non habet subditum aliquem, in quem illam exercere possit. Secunda ratio est, quod ista potestas absolvendi à peccatis, non confertur sacerdoti ab homine, sed à Deo principaliter, quamvis in tali collatione potestatis Episcopus sit Dei minister, per cujus manus Deus tradit illam potestatem sacerdoti: Et hoc ipsum fatetur Abulensis in cap. 63. Ex quo aperte sequitur Ecclesiam non posse tollere à sacerdote hanc potestatem jurisdictionis in foro conscientie, nec arctare, nec minuere, nec ligare,

Quia quod à superiore concessum est, inferior non potest tollere, aut minuere. Ex quo ultra sequeretur simplicem sacerdotem vere posse absolvere quemlibet. Qui licet peccaret absolvendo, alius tamen vere absolutus maneret. Hoc autem fateri, est contra omnium Theologorum doctrinam. Quod autem inde sequatur, probatur manifeste ex illius doctrina. Quia in cap. 62. simili argumento probat Ecclesiam non posse tollere à sacerdote potestatem conficiendi Eucharistiam, quia videlicet talis potestas non est data sacerdoti ab Ecclesia, sed à Deo, qui major est Ecclesia. At beatus Thomas, & qui illius sententiam sequuntur, facile ab his inconvenientibus liberantur. Nam simplex sacerdos, qui curam animarum non habet, & si habeat potestatem illam absolvendi, quæ, juxta illorum sententiam, dicitur potestas ordinis: non tamen habet potestatem jurisdictionis, atque ideo neminem absolvere valet. Tertia ratio, quæ me nimium urget, est quia si cuilibet sacerdoti (ut Abulensis ait) ex institutione Christi competit potestas jurisdictionis in foro conscientie, & potestas jurisdictionis in foro contentioso super omnes fideles totius orbis, sequuntur inde duo maxima, & prorsus intolerabilia inconvenientia. Primum est, quod ex institutione divina omnes sacerdotes erunt pares in potestate jurisdictionis, & ita Papa non esset cæteris omnibus ex jure divino, sed solum jure humano, superior. Hæc autem sententia tamquam erronea, & hæretica, est multorum Conciliorum auctoritate damnata. Alterum & non minus inconveniens est, quia si ita res se haberet, convinceretur inde apertissime Christum male, atque pessime ordinasse rempublicam Christianam, cum in illa tot Judices, ex æquo potentes reliquisset, quorum quilibet æquam super omnes fideles potestatem haberet. Nam tanta Judicum sine ullo ordine multitudo plus posset (ut re ipsa manifestissimum est) Ecclesie obesse, quam prodesse. Hoc autem fateri esset hæresis manifesta: quia scriptura sacra adeo Ecclesie ordinem commendat, ut propter illius ordinem eximium, dicat illam esse hostibus formidabilem. *Terribilis* (inquit de illa *Cant. 6.*) *ut castrorum acies ordinata.* Quarta ratio est: Omnis potestas, quæ datur sacerdoti in sua ordinatione, est character sacerdotalis, aut illi characteri sic necessario connexa, ut separari ab illo non possit: sed character sacerdotalis non est potestas jurisdictionis, sed potestas ordinis: ergo sacerdoti in sua ordinatione non confertur ulla potestas jurisdictionis, sed solum potestas ordinis. Majorem & consequentiam non oportet probare, quoniam notæ sunt; minorem tamen, ex qua tota argumentationis vis pendet, sic proba. Potestas jurisdictionis est limitabilis, quæ potest augeri, & minui, & prorsus tolli. Character autem nihil horum habere potest, ut manifestum est ex ipsa ratione characteris: ergo character non est potestas jurisdictionis. Quinta ratio contra Abulensem est ista: Omnis potestas, quæ per aliquam ordinationem sacramentalem confertur, est potestas ordinis: sed potestas absolvendi data sacerdoti in sua ordinatione est hujusmodi: ergo illa est potestas ordinis, & non jurisdictionis. Consequentia, & minor sunt per se notæ, major autem probatur: quia non ob aliud dicitur potestas ordinis, nisi quia per ordinis collationem confertur. Præterea, talis potestas absolvendi à peccatis, quæ traditur sacerdoti in sua consecratione, ordinatur ad sacramenti administrationem: ergo potius dicenda est potestas sacramentalis, quam potestas jurisdictionis. Ultima ratio, quæ (mea quidem sententia) vehementer Abulensem constringit, est, quod omnium Theologorum con-



consensu receptum est, ad absolutionem sacramentalem faciendam requiri potestatem ordinis, ita quod sola potestas jurisdictionis sine potestate ordinis non sufficeret ad hoc, ut quis possit alium à peccatis absolvere: sicut manifestum est in illo, qui habet curam animarum, & non est sacerdos. Ille enim & si habeat potestatem jurisdictionis, quia tamen caret potestate ordinis, neminem absolvi potest. Nulla autem alia potestas ordinis requiritur, nisi potestas absolvendi: ergo illa non est dicenda potestas jurisdictionis, sed potestas ordinis. Et (ut hominem fortius constringamus) statuamus id evenisse, quod facillime evenire potest, ut videlicet Episcopus ordinans in sacerdotem talem curatum, aut Episcopum, postquam illi dedit potestatem supra corpus Christi verum, statim moriatur, antequam tradat eidem sacerdoti potestatem super corpus Christi mysticum. In hoc eventu nullus sanæ mentis dicit talem sacerdotem posse à peccatis absolvere. Quid igitur deest? Non quidem potestas jurisdictionis, quia illam habet ratione curæ sibi commissæ: deest ergo potestas ordinis, sed non deest potestas ordinis supra corpus Christi verum, quia illa jam data fuit ab Episcopo, antequam ille interiret: ergo deest potestas ordinis supra corpus Christi mysticum, quæ non est alia nisi potestas absolvendi à peccatis. Ex quo apertissime colligitur talem potestatem non esse potestatem jurisdictionis, sed ordinis: & inde per consequens sequitur non omnem potestatem, quæ est supra corpus Christi mysticum, esse censendam potestatem jurisdictionis. Propter has rationes, quæ mihi urgentissime videntur, censeo has duas Ecclesiæ potestates, ordinis videlicet, & jurisdictionis, non esse eo modo distinguendas, neque diffiniendas, sicut Alphonsum Abulensem illas diffinisse diximus. Beatum igitur Thomam in hac parte imitatus, dico has duas potestates distingui per hoc quod potestas ordinis, sive (ut Sanctus Thom. ait) sacramentalis confertur per collationem alicujus ordinis Ecclesiastici, sive illa sit supra corpus Christi verum, sive supra corpus mysticum. Potestas jurisdictionis est illa, quæ supra alios datur per institutionem, aut commissionem alicujus hominis. De his igitur potestatibus differere oportet, an qui illas habet, si fiat hæreticus, statim eas amittat. In hoc cap. de sola potestate ordinis differemus: & proximo cap. de potestate jurisdictionis inquiremus. Potestates ordinis, juxta ordinum varietatem, varias esse diximus: quarum aliquæ omnibus competunt sacerdotibus, aliquæ solis Episcopis conveniunt. Primo igitur de potestate sacerdotali, mox vero de Episcopali ordinis potestate disputabimus. De sacerdotali ordinis potestate Petrus Lombardus, qui magister sententiarum dicitur, lib. 4. dist. 13. docet illam potestatem, quæ est supra corpus Christi verum, non manere in eo, qui factus est hæreticus, neque in eo qui est excommunicatus. Et, ut illius mentem quisque facilius agnoscat, verba illius citabo, quæ loco præfato de hac re ait: Illi vero (inquit ille) qui excommunicati sunt, vel de hæresi manifeste notati, non videntur hoc sacramentum posse conficere, licet sacerdotes sint: quia nemo dicit in ipsa consecratione, offero, sed offerimus, quasi ex persona Ecclesiæ. Et ideo cum alia sacramenta extra Ecclesiam possint celebrari, de hoc non videtur. Hæc Magister sententiarum. Idem etiam mihi videtur sensisse Gratianus. Nam 24. quæst. prima secunda parte quæstionis, quæ post cap. Audivimus, incipit ibi: Si autem ex corde suo novam hæresim &c. Hæc verba dicit Gratianus. Quicumque ergo ab unitate Ecclesiæ, quæ per Petrum

intelligitur, fuerit alienus, excommunicari potest, consecrari non valet, excommunicationis, vel reconciliationis potestatem non habet. Hæc ille. Cujus errorem Glossa ibi aperte agnoscens, illum corrigere decrevit. Nam in verbo illo non valet. Hæc ait Glossa. Consecrari tamen extra Ecclesiam, si formam observet: quia hoc ordinis est, quem retinet recedens ab unitate Ecclesiæ, 1. quæst. 1. quod quidam. Sed non potest excommunicari: quia hoc jurisdictionis est quam amittit, qui recedit ut 1. q. 1. remissionem. Hæc in Glossa. Sed idem Glossator in cap. Accedens dist. 50. de sacerdote degradato, sentit oppositum dicens, quod non credit illum conficere: quia (ut ait) perdit omnem potestatem. Et certe miror, quod viri tam docti, & tam boni in tam manifestum inciderint errorem. **F**alsitas hujus doctrinæ inde apertissime convincitur, quod potestas consecrandi non est aliud, nisi character sacerdotalis, qui imprimitur sacerdoti à Deo, quum illum ordinat Episcopus, & dicit: Accipe potestatem offerre sacrificium Deo, Missæque celebrandi tam pro vivis, quam pro defunctis &c. Quibus verbis finitis, Deus in anima sacerdotis imprimat characterem, & sacerdos per illum characterem accipit à Deo potestatem consecrandi Eucharistiam. Quo fit, ut tandiu duret in sacerdote potestas conficiendi Eucharistiam, quamdiu duraverit in eo sacerdotalis character. At talis character, cum à solo Deo imprimatur, solus Deus illum ab anima delere potest. Consequens igitur est, ut etiam potestas consecrandi non possit per quodvis crimen, quantumlibet grave, tolli à sacerdote, etiam si ille sit degradatus. Nam per talem degradationem, licet Ecclesiæ auferat à sacerdote ordinis executionem, ita ut non possit sine peccato Eucharistiam conficere, non tamen ab illo auferit, nec auferre potest ordinis potestatem, ut etiam attentans, conficere non possit. Præterea Ecclesiæ non dat sacerdoti potestatem consecrandi, sed solus Deus. Quoniam potestas illa cum sit tam magna, & tam excellens, ut omnium angelorum ne dum hominum potestatem exsuperet, non potest nisi à Deo conferri, quamvis ad illius ordinis collationem Episcopus se habeat, ut minister, aliqua circa sacerdotem exercens, sine quibus Deus nunquam talem sacerdoti concedit potestatem. Necessarium igitur est, ut Ecclesiæ non possit auferre à sacerdote potestatem consecrandi, quam constat solum Deum illi dedisse. Inferior siquidem non potest superioris donationem revocare, aut irritum facere quicquid superior fecerit. Rursum, si doctrina Magistri sententiarum vera esset, sequeretur inde sacerdotem, qui ab hæresi, in quam lapsus fuerat, respicit esse iterum ordinandum, ut corpus Christi in Eucharistia conficere possit. Hoc autem fateri esset nimis erroneum, & contra universalem Ecclesiæ definitionem. Nam Concilium Florentinum, tradens Armenis certissimam fidei regulam, quam tenere debent, de sacramentis Ecclesiæ differens, hæc ait: Inter hæc sacramenta tria sunt. Baptismus, confirmatio, & ordo, quæ characterem, id est, spirituale quoddam signum à cæteris distinctivum, imprimant in anima indelebile. Unde in eadem persona non reiterantur. Reliqua vero quatuor characterem non imprimunt, & reiterationem admittunt. Hæc Concilium Florentinum. In quibus verbis duo maxime advertere oportet. Quæ duo proxime adducta argumenta fortissime confirmant. Primum est, quod ait: Characterem esse indelebilem, & hoc deseruit superiori argumento. Alterum est, quum ait: Sacramentum ordinis esse connumerandum inter illa sacramenta, quæ reiterationem non admittunt. Dicimus ergo

ergo juxta totius Catholicæ Ecclesiæ sententiam sacerdotem omnem recte ordinatum, etiam si hæreticus fiat, & degradatus sit, posse Eucharistiam conficere, quamvis hoc faciendo peccet. Unde Augustinus lib. 23. contra Parmenianum ait: Illi qui intra Ecclesiam constituti receperunt potestatem consecrandi Eucharistiam in ordinatione sacerdotis, recte quidem habent potestatem: sed non recte ea utuntur, si postmodum per hæresim, aut schismam, vel excommunicationem ab Ecclesiâ separati fuerint. Hæc Augustinus. Forte contra ista, quis nobis objiciet illud cap. Degradatio, quod habetur in titulo de penis, lib. sexto. In illo enim cap. decernitur, ut Episcopus sacerdotem degradans, utatur hac forma: Auditoritate Dei omnipotentis Patris, ac Filii, & Spiritus Sancti, ac nostra tibi auferimus habitum clericalem, & deponimus te degradamus, spoliamus, & eximus te omni ordine, beneficio, & privilegio clericali. Ex quibus verbis videtur colligi, degradatum nullam habere ordinis potestatem, & per consequens privatum esse characterem sacerdotalem. Alioqui forma degradationis falsitatem contingeret, cum dicitur. Eximus te omni ordine. Et Glossa in illo cap. dicit inde sumi argumentum contra eos, qui dicunt degradatum posse conficere. Sed revera Glossator ille deceptus est, nec vini illorum verborum plene intellexit. Nam per illa verba intelligit Papa degradatum esse privatum, & spoliatum executione ordinis, non autem potestate ordinis. Quoniam hac privari non posset, cum sit character indelebilis. Et huic nostræ expositioni favet Cardinalis, qui in cap. Accedens, dist. 50. dicit, quod ubicumque in jure habetur, quod depositus, seu degradatus amittit, vel non habet ordinem, intelligendum est de executione, & privilegio ordinis. Eandem sententiam docet dominus Adrianus Papa in 4. sentent. in questione de confirmatione art. 3. Et sic est necessario dicendum, ne dicamus Papam desinendo errasse. De potestate autem absolvendi à peccatis, non potest certa aliqua sine distinctione dari sententia: sed juxta varietatem potestatis varia etiam dabitur definitio. Nam (ut in principio hujus capituli diximus) duplex est potestas absolvendi à peccatis. Una dicitur potestas ordinis, & hæc est character sacerdotalis, sive alius à priori, sive ille idem major effectus parum refert ad præsentem disputationem. Et hæc potestas traditur à Deo sacerdoti quando Episcopus consecrans illum, dicit: Accipe Spiritum Sanctum, quorum remiseris peccata, remittuntur eis: quorum retinueris retenta sunt. Altera est potestas absolvendi à peccatis, quæ dicitur potestas jurisdictionis in foro conscientie. Hæc non traditur in consecratione sacerdotis: sed postea quando illi datur cura animarum, neque traditur à Deo immediate, sed ab homine, qui illi committit animarum curam. Harum duarum nulla sine altera potest (ut ante diximus) exercere actum absolutionis peccatorum, sed ambæ sunt necessario requisitæ. Nam sacerdos, qui nullam habet animarum curam, neque ordinariam, neque legatam (extremæ necessitatis casu excepto) neminem absolvi potest. Et contrario, qui curam animarum habet, & sacerdos non est, neminem etiam absolvi potest. Sacerdos igitur, qui hæreticus effectus est, potestatem jurisdictionis amittere potest: quoniam, cum illam (ut diximus) ab homine accipiat, etiam homo, qui dedit, aut alius superior illam tollere poterit. At potestatem absolvendi, quæ dicitur ordinis, aut sacramentalis, sicut non dedit sacerdoti homo, ita nec potest ab illo tollere aliquis homo. Est enim hæc potestas etiam indelebilis, ab

anima, quemadmodum potestas conficiendi Eucharistiam: quia utraque illarum nihil aliud esse cœtetur, quam character sacerdotalis à Deo in anima sacerdotis impressus. Ex quo apertissime colligitur sacerdotem hæreticum, si eam animarum, quam ante habebat, Ecclesiæ illi non subtraheret, posse subditos suos à peccatis eorum absolvi: quia ad id faciendum utramque retineret potestatem ordinis, & jurisdictionis. Nunc autem quia Ecclesiæ hæreticos omni beneficio privat, ideo licet illi habeant potestatem ordinis, postquam tamen sunt privati, absolvi non possunt, quia carent potestate jurisdictionis. Tota igitur hæc nostra disputatio duabus certissimis regulis potest comprehenditur. Prima regula. Sacerdos hæreticus effectus non amittit, neque amittere potest ullam ordinis potestatem, quia illa est indelebilis, & à solo Deo datur. Secunda regula. Sacerdos hæreticus effectus amittere potest jurisdictionis potestatem, quia illam non accipit in consecratione, sed postea ex hominis commissione. Et quia illarum duarum potestatum differentiam non bene considerant Magister sententiarum, & Gratianus, decepti sunt putantes idem potestates de utraque illarum esse dicendum, quod tamen non ita dicendum esse facillime agnoscerent, si bene considerassent, latum esse inter illas duas potestates discrimen, variisque esse illarum duarum potestatum conditiones. Sed opus est jam, ut videamus quid Magister sententiarum pro sua sententia confirmatione afferat. Non enim gratis, & sine ulla ratione, quamvis fallaci, id tantus vir unquam dixisse putandus est. Sacerdos consecrans (inquit ille) in persona Ecclesiæ hoc agit, & non sua: quia cum hostiam offert, non dicit offero, sed dico offerimus. At qui extra Ecclesiam est, non potest aliquid nomine Ecclesiæ facere. Hæreticus igitur, aut excommunicatus, cum sit ab Ecclesiâ separatus, non poterit nomine Ecclesiæ consecrare. Hæc ratio certe debilissima est, & quam facillime quis homo vel mediocriter doctus, nedum Magister sententiarum rejicere posset, si bene considerasset latam esse differentiam inter consecrationem Eucharistiam, & orationes quæ illam in canone Missæ præcedunt, aut sequuntur. Orationes illas sacerdos dicit in nomine Ecclesiæ, in ejus unitate consistit tanquam membrum illius. In consecratione autem, quando conficit Eucharistiam, non in persona Ecclesiæ, sed in persona Christi loquitur, cujus vicem gerit per ordinis potestatem. Quod autem in persona Christi loquatur, ipse verborum contextus, qui proxime verba consecrationis præcedit, apertissime ostendit. Nam sacerdos jam consecrare paratus, de Christo Salvatore nostro loquens hæc quæ sequuntur, ait: Qui pridie quam pateretur accipiens panem in sanctis, ac venerabiles manus suas, & elevatis oculis in cælum ad te Deum patrem omnipotentem tibi gratias agens, benedixit, fregit, deditque Discipulis suis dicens: Accipite, & comedite ex eo omnes. Hoc est enim corpus meum. Ex quo verborum contextu apertissime constat, sacerdotem in sola Christi persona verba consecrationis proferte, & non in persona propria. Sacerdos igitur excommunicatus, aut hæreticus, aut alias quomolibet ab Ecclesiæ unitate præcisus, si Missam celebrat, quia potestatem ordinis indelebilem tenet, vere conficit corpus, & sanguinem Domini: quia tamen est ab Ecclesiæ unitate separatus, orationes ejus, quæ nomine Ecclesiæ offerunt, nullam profus habent virtutem, nullumque meritum, ita ut nec ipsi hæretico, nec illis pro quibus dicuntur, proficere possint.







propter hæresim decesserant, postquam respuerunt, misericordiam petentes fuerunt in suis gradibus, & honoribus, sive nova ordinatione recepti, sicut habetur in cap. Convenientibus, 1. quæst. 5. Si tamen Episcopalem ordinem per hæresim amitterent, oporteret eos, quum ad Ecclesiam redirent, iterum consecrare. Rursum, ordinatorum ab Episcopis hæreticis qui veram Ecclesie formam in ordinatione servaverant, Ecclesia præcepit, ut non iterum ordinarerent, sed in suis persisterent gradibus: ut clarissime habetur in cap. Ordinationes, 9. quæst. 1. Et expressius hoc definitum fuit in septima generali synodo, cuius definitio habetur in cap. Convenientibus, 9. q. 7. Non enim hoc censeret Ecclesia, nisi illa sensisset Episcopum, quamvis obstinatissimus fiat hæreticus, suam semper retinere ordinis potestatem. Quia licet ritus ille consecrationis quo Episcopus consecratus sit iure humano institutus, tamen potestas quæ Episcopo in illa consecratione datur, à Deo solo & non ab homine illi donatur. Demum, hoc probatur testimonio beati Augustini, qui lib. 2. contra Parmenianum de hac re disputans, sic ait: „Nam si ex ipsa parte venientes, etiam Præpositi, qui pro bono pacis, correcto schismaticorum errore, suscepti sunt, & si visum est opus esse ut eadem officia gererent quæ agebant, non sunt tamen rursus ordinandi; sed sicut baptizatus in eas, ita ordinatio manet integra: quia in præcissione fuerat vitium, quod unitate pacis est correctum: non in sacramentis quæ ubicumque sunt, vera sunt: & cum ipsi expedire videretur Ecclesie, ut præpositi eorum venientes ad Catholicam societatem, honores suos ibi non administrarent, non eis tamen ipsa ordinationis sacramenta detrahuntur, sed manent etiam super eos. Ideoque non eis in populo manus imponitur, ne non homini, sed ipsi sacramentis fiat injuria.“ Hæc Augustinus. Et citatur à Gratiano in cap. Quod quidam, 1. quæst. 1. Forte contra ista quis mihi obiiciet capitulum illud Daibertum, quod habetur 1. q. 7. in quo Urbanus Papa dicit, Daibertum à Nezelone hæretico Episcopo ordinatum, nihil recepisse, sed esse iterum ordinandum. Et rationem reddens idem Papa ait: Quia qui nihil habuit, nihil dare potuit ei cui manus imposuit. Hæc Urbanus. Unde aperire sequitur quod Episcopus ille Nezelon factus hæreticus amiserat Episcopalis ordinis potestatem. Huic argumento respondet ibi glossa in principio capituli, hoc ideo Papam decrevisse, quia Daibertus ille non fuerat in forma Ecclesie baptizatus, & ideo merito censuit illum nihil recepisse, esseque iterum ordinandum. Per hanc responsionem licet glossa satisfacere videatur pro reiteratione ordinationis, non tamen satisfacit verbis illis, in quibus Papa reddit rationem illius reiterationis, sic inquit. Quia qui nihil habuit, nihil dare potuit ei cui manus imposuit. Ex quibus verbis constat Papam sentire Nezelonem Episcopum hæreticum non habere potestatem conferendi ordines. Quapropter dico Nezelonem illum hæreticum nunquam fuisse Episcopum, quia ab alio Episcopo hæretico extra formam Ecclesie fuerat consecratus. Et ita rem contigisse, narrat, quiquis ille fuit, qui casum illius capituli ante verba glossatoris descripsit. Quo eventu, constat Nezelonem illum nihil ab alio Episcopo recepisse: ac proinde nihil habere, quod Daiberto conferre potuisset. Secunda conclusio. Papa potest prohibere Episcopis executionem ordinis Episcopalis circa sacramenta: sive hoc faciat particulari prohibitione, sive generali lege omnibus Episcopis prohibens, ne ordines

faciant, aut confirmationis sacramentum administrarent. Quia facta prohibitione, Episcopus contra illam prohibitionem ordinans aut confirmans, peccaret sic faciundo, quamvis ea quæ fecerit, sint pro raris habenda, nec oporteat illa iterum facere. Ad hujus conclusionis probationem valere potest ratio illa, quam supra ex Innocentio, & Panormitano adduximus pro usu opinionis confirmationis, quæ huic proposito valde servare potest, cum tamen pro alio nihil efficiat. Papa obediendum est in omnibus quæ non sunt contra fidem & legem Dei: Episcopo esse interdictionem executionis ordinis Episcopalis, non est contra fidem, neque contra Dei leges. Quia licet de jure divino sit (ut diximus) quod Episcopus recte ordinatus habeat Episcopalem potestatem, non tamen est de jure divino quod illam potestatem semper exerceat. Quo fit, ut possit illi per superiorem prohiberi, ne illam exequatur. Ad probationem opinionis Innocentii & Panormitani, non potest hæc argumentatio ullo modo juvare. Quia Episcopum conservare potestatem ordinis semel acceptam, est fide Catholica tenendum, cum sit illi à Deo concessum: quapropter præceptum Papæ nihil in ea re efficere valet. Exercere autem semper potestatem illam, non est divino jure mandatum, & ideo circa illud quidquid voluerit Papa efficere poterit. Deinde, non est in potestate Episcopi situm, habere, vel non habere potestatem ordinis Episcopalis: quia hoc à voluntate Dei pendet, qui sicut ille solus hanc potestatem dedit, ita solus auferre potest. Nihil ergo agit ad hanc rem Episcopi obedientia: quia sicut Papa non potest Episcopo præcipere quod non est in illius arbitrio situm, ita nec Episcopus tenetur obedire in his quæ sunt voluntatis Imperio non substant. At Episcopalem ordinis potestatem exercere, vel non exercere in voluntate Episcopi situm est: quia cum vult potest exercere, & cum vult potest omittere. Et inde consequens est, ut Papa possit hoc prohibere Episcopo, & Episcopus tenetur Papæ prohibenti obedire. In hoc tamen laudandus est Innocentius, quod (ut de illo Panormitanus in præfatio capitulo refert) dicit non esse tolerandam talem prohibitionem, si Papa sine magna causa legem universalem facere vellet, qua omnibus Episcopis prohiberet sacramentorum ordinis, & confirmationis executionem. Quia talis prohibitio esset incommoda toti Christianæ Reipublicæ, & totum illius statum turbaret, & in talibus, quæ universalem Ecclesie statum perturbant, dicit Innocentius Papam non esse audiendum, sed resistendum esse illi per universalem Ecclesiam. Ex hac secunda conclusione deducitur hæreticum Episcopum non posse recte exequi Episcopalis ordinis potestatem circa administrationem ordinis aut confirmationis, quia est illi per Ecclesiam interdictionem, ut patet in cap. Dicimus, & cap. Pudenda, 24. q. 1. Si autem contra Ecclesie prohibitionem, servata tamen debita forma, & recta adhibita intentione, aliquem aut confirmaret, aut sacerdotio consecraret, quamvis rata esset ordinatio aut confirmatio per illum facta, ipse tamen peccaret, & quidem gravissime talia sacramenta ministrando. Tertia principalis conclusio. Papa potest tollere ab Episcopis eam potestatem ordinis, quam habet circa sacramentalia, ut puta consecrationes altarium, consecrationes calicum, benedictiones vestimentorum necessarium ad Missæ celebrationem. Hæc omnia facere quamvis omnibus & solis Episcopis sit concessum, non tamen hoc illis iure divino competit, sed humano. Nihil enim horum Christus instituit, sed successu temporis sunt paul-

paullatim ab Ecclesia instituta. Quod autem solo jure humano solidatur, ab hominibus qui jus ipsum condiderunt, aut ab illis qui in illorum locum & potestatem successerunt, poterit tolli. Constat autem Papam, qui nunc est, non minorem in Ecclesia habere potestatem, quam alii summi Pontifices qui illum præcesserunt. Ergo sicut Pontifices prædecessores illa omnia ab Episcopis facienda esse decreverunt, ita posteriores Pontifices poterunt discernere ut nihil illorum Episcopi facere possint. Præterea, sicut Ecclesia illas omnes consecrationes & benedictiones olim statuit, ita etiam nunc illas omnes potest in universam abrogare, ita ut sine omnibus illis Missæ celebraretur. Quibus abrogatis, constat simul esse Episcoporum potestatem hac in re profus abrogatam. Quoniam tunc nihil magis efficeret Episcopus, quam quisvis alius sacerdos, si uterque eadem super altare aut calicem, faceret & diceret. Nam Episcopus nunc consecrando aut benedicens illa, hoc solum efficit circa illa quod facit illa esse apta instrumenta ad aliquod opus efficiendum per illa, sine qua consecratio aut benedictione non illa essent apta ad illud. Sed abrogatis illis consecrationibus & benedictionibus per Ecclesiam, illa instrumenta, seclusis omnibus illis, essent ad illud opus efficiendum apta. Non plus ergo tunc faceret Episcopus illa consecrando aut benedicens, quam quisvis alius Sacerdos. Ex hac eadem ratione vincitur Papam posse hanc potestatem circa sacramentalia, quæ nunc solis Episcopis reservantur, omnibus aliis sacerdotibus concedere: ita ut ex concessione Papæ possint consecrare Ecclesias, altaria, aras, calices, patenas, & reliqua hujusmodi quæ sunt solis Episcopis reservata. Quia cum omnia illa ex solo jure humano pendant, Papa, qui supra totum Ecclesie jus plenum habet potestatem, poterit illud pro libito, cui placuerit, dispensare, quamvis male ageret, si tam inveteratam Ecclesie consuetudinem profus tollere vellet. Ex eadem ratione etiam deducitur, ut (juxta opinionem eorum qui dicunt minores ordines non esse sacramenta, nec divino jure instituta) Papa possit illorum ordinum collationem & ab Episcopis auferre, & aliis sacerdotibus concedere. De hæreticis Episcopis quid sit in hac parte sciendum ex dictis facillime constare potest. Certum quidem est Ecclesiam posse ab illis hanc potestatem auferre: & juxta potestatem quam habet, illam fecisse constat ex cap. Ecclesiis, & duobus sequentibus capitulis, de consec. dist. 1. Ibi enim præcipitur ab Arrianis consecratis Ecclesias iterum consecrari. Attamen glossa ibi in cap. Ecclesiis, dicit hoc esse intelligendum, si formam Ecclesie non servassent, quoniam si illam servassent, dicit non esse iterum consecrandas. Sed re vera fallitur glossa, quia in cap. Ecclesiis, aperte dicit verus esse iterum consecrandam Ecclesiam quæ consecrata esset ab eo qui non habet fidem Trinitatis. Credo certe Glossam inde fuisse deceptam, quod putavit idem profus sentendum esse de sacramentalibus, quod de sacramentis, cum tamen lata sit inter illa differentia. Quia consecrationes sacramentorum pendunt ex jure divino: & inde event, ut potestas quam sacerdotes aut Episcopi super illas habent, non possit ab illis auferri. Potestas autem super sacramentalia ex solo pendet humano jure, & ideo Ecclesia quæ hoc jus statuit, poterit illam potestatem ab Episcopis auferre, ita ut consecrationes nihil efficiant, præsertim ob tam grave crimen quale est hæresis. Et idem mihi videtur de aliis consecrationibus & benedictionibus aliorum sacramentalium esse dicendum, ut sunt consecratio ca-

licis, benedictiones ornamentorum & vestimentorum. Nam de similibus idem est judicium; neque huic sententia obstat quod dicitur in cap. A nobis, de sacramentis non iterandis. Illic enim Papa ideo decernit, altaria non esse iterum consecranda, aut vestimenta iterum benedicenda, in quibus aut cum quibus presbyteri degradati celebraverunt, quia omnia illa vere consecrata aut benedicta erant, & ideo noluit ut iterum consecrarentur, aut benedicerentur. At quod ab hæreticis circa illa sacramentalia factum est, Ecclesia censet nullius esse roboris & momenti: & ideo necessarium est ut fiant ab eo qui illa omnia exercere valet. Sed tunc merito inquirere quis possit quo nomine sit censenda hæc Episcoporum potestas, quam Episcopi habent circa sacramentalium consecrationem aut benedictionem. Non est certe dicenda potestas jurisdictionis, quia per illam nec aliquem punire, nec sententiam aliquam dicere potest. Si potestas ordinis dicitur, erit necessario fatendum, esse aliquam ordinis potestatem, quæ sit auferibilis per Ecclesiam. Quod ergo beatus Thomas dicit in 2. 2. q. 39. art. 3. Potestatem ordinis esse indelebilem, est interpretandum de sola potestate ordinis quæ est circa sacramenta, de qua solum in illa quæst. tractabat.

## CAPUT XXIII.

An Episcopus effectus hæreticus, sit eo ipso privatus omni potestate jurisdictionis, etiam si sit Papa.

De potestate Ecclesiastica inquirere & disputare cepimus, an omnis talis sit per hæresim, eo ipso ab hæretico ablata, & de potestate ordinis jam factis per duo capitula differimus. Nunc superest de potestate jurisdictionis pertractare, an illam ipso jure amittat Episcopus aut Papa, si fuerit hæreticus. Quæ quidem questio unum præsupponit, & aliud quærit: Præsupponit quidem Episcopum & Papam posse effici hæreticum. De Episcopo nullus unquam dubitavit: quoniam multa & certissima experientia compertum est, plurimos Episcopos fuisse hæresarchas, nedum hæreticos. De Papa vero an possit esse hæreticus, questio est inter Theologos controversa, & pars quæque Catholicos & doctissimos habet patronos. Quam questionem ego nunc pertractare nolo, neque volo de illa aliquid definire, præter id quod supra lib. 1. cap. 6. dixi, Papam videlicet, ut publica & communis est persona, in dandis toti populo Christiano fidei decretis non posse errare, ut tamen singularis & privata est persona, posse in fide errare, & effici hæreticum. Nam (ut cæteros omittam) de Honorio hujus nominis primo non potest ambigi illum fuisse hæreticum, cum fuerit in sexta generali synodo de hæresi manifesta damnatus, & hæreticus proclamatus. Ob quam causam eadem sexta synodus in qua Legati summi Pontificis aderant Theodorus & Georgius presbyteri, & Joannes Diaconus, pluries dixit illi anathema, ut constat ex ultima actione ejusdem sextæ synodi: quam quidem sententiam Leo tertius hujus nominis Pontifex ratam habuit, ut apertissime constat per epistolam ejus, quam de hac re rescripsit ad Constantinum Imperatorem, in qua non semel appellat eum hæreticum. Hanc qui legere volet, reperiet in secundo romano Conciliorum generalium, statim post ultimam sextæ synodi actionem. Scio tamen esse aliquos, qui Honorii causam suscipientes illum exulare nituntur, inter quos unus, & præcipuus